Opuscula

CELSITUDO VIRTUTUM

In

DIVINISSIMA

MARIA MAGDALENA

DE

PAZZIS,

EMINENTISSIMA;

Annuâ suæ Solennitatis redeunte Die

in Basilica Celeberrima

Conventûs Cracoviensis Majoris,

Perantiquæ Regularis Observantiæ

PATRUM CARMELITARUM,

Humili Stylô,

Præsente Illustrißimâ Magnorum Hospitum

CORONA,

A

GEORGIO JOSEPHO

De BRONIKOWO

BRONIKOWSKI,

Jurisprudentiæ & Cursûs Philosophici in Alma Academia Cracoviensi Auditore.

ADORATA.

Annô, quô ex Celso venit DEUS Olympo, 1741. Die 28. Maij.

Typis Collegij Majoris, Universitatis Cracoviensis.

72



His *RASTRIS* ſacri Patrij Flos cedit honoris
Totaq; virtutum meſſis ad Illa venit,
His & ego mecum cum parva fruge Iuventæ;
In Folijs florem ſterno dicoq; meæ;
Quem circumfuſum riguo ſatis imbre favorum
Sic viruiſse decet, ſic cecidiſse juvat.

EMINENTISSIME PRÆSUL, Protector Singularissime.

NOn decebat me aliter pro laudibus Sacratissimæ Virginis MAGDALENÆ fuisse oratorem, nisi simul Eminentissimæ Celsitudinis Vestræ esse Adoratorem. Totum quippe me, & totam quam vivo vitam Eminentissimæ Celsitudini debeo, quidni & has laudibûs Seraphicæ Virginis MAGDALENÆ exaratas debeo pagellas. Accepi à Progenitoribus meis esse, ab Eminentissima Celsitudine Vestra accepi & habeo benè imò optimè esse, Quem providentibûs Superis meum Orthodoxæ Fidei Demonstratorem, in adversis fortunæ eventibus Defensorem, in quibusvis arduis occurrentibus Protectorem, vitæ, statûs ulterioris mei sollicitum Promotorem, & rarum hôc sæculô mihi tamen grati-

osè indies ad invidiam aliorum Cælitùs provisum Mecænatem profundissimo perennem testificante obligationem veneror cultu. Hinc non deeßet mihi amplissima laudum Eminentissimæ Celsitudinis Vestræ materies, si eam exigua hæc quam in Gratiosissimum repono sinum capere poßet pagella. Loquentur sæcula, continebunt annales, quæ & quanta Regum Coronator, Pacis publicæ Auctor, Libertatis Tutor, Romulei Vaticani Decus, Senatûs purpurati Corculum, singularis Cracij Vavelli Gloria, in Ecclesia, Patria, & Diœcesi ad posthumam longarum trieteridum memoriam laboriosè, piè, & exemplariter effecisti & efficis: mihi Clientum Tuorum minimo non est subpar, vel eloquendi, vel scribendi hæc locupletas, ut potè Majoribus Tullijs, Hortensijs, Tuarum Laudum amplitudini insudantibus, & eandem in centifolia dyphtherarum digesturis relinquenti. Sufficit mihi ad Cardinalitiam cadenti Fimbriam indesinentem pro felicissimis in longævam vitam Eminentißimæ Celsitudinis Vestræ successibus ad Aras agere Oratorem ita spondeo,

Eminentissimæ Celsitudinis Vestræ

infimus cliens
Author Operis.

ORATIO.

IN Stellato Carmeli consistens monte, dum & elevata sublimiùs mente, & demissô ad ima oculô, totum qua latepatet intueor mundum, nihil in eo celsum, nihil eminens videre videor. AA. Quemadmodum enim quidquid in Mundo æstimatur vile est, quidquid pulchrum turpe est, ita quidquid eminet humile, quidquid magnum creditur parvum est, quidquid supponitur excelsum re ipsa pusillum existit. Repenti per ima animô etiam abjecta pretiosa videntur, depressa & ipsi planè adæquata plano apparent sublimia, quæ mens altiùs elevata nec unô palmô ju-

dicat metienda. Fallax Mundus delibutos vanitatis collyriô hominum oculos apparenti rerum fallit celſitudine, ementitas dioptras, artefacta reperit & applicat teleſcopia, ut ſic imbutas fucatâ quantitate rerum ſpecies in minimis maximas repræſentet, quas terſior pupilla excuſsô fragilî vanitatis vitrô vix tantilla advertit. Congregat erutum violentiorî artificiô è terræ viſceribus aurum, accumulat pretioſa Erythrei ejectamenta uniones, hoc eſt nociva avaræ hominum orexis illicia congerit divitias, & ecce prudentior animus dicit, quòd aurum ſit fulvæ pulvis arenæ, quod gemma ſit bulla gelata maris, quod magnæ divitiæ ſint lege naturæ compoſita paupertas. Erigit magnificas dignitatum celſitudines, oſtentat præcelſas honorum eminentias, & ecce mens ſolertior ſuas purpuris etiam tineas, gemmantibus ſceptris, auratisq; coronis ſuam rubiginem, Regalibus pomis, verminantem ineſſe videndo teredinem, in Curijs ſollicita angentes pectora curas, in varijs honorum inſignijs oneroſam ſuis geſtato-

ſtato-

ſtatoribus gravitatem, in diverſis dignitatum munijs pravitatem, inter faſtigioſa Majeſtatum culmina ferientia etiam ſummos fatorum fulmina, in Thronis & curulibus infortuniorum animadvertendo ſedes, omnia hæc judicat eſſe eláta non ſublimia. Superba Neronum pertinaci erecta labore demonſtrat Palatia, Rhodios Coloſsos & incredibili turgentes altitudine præſentat obeliſcos, erigit ad ſtuporem ſæculorum vix non ære fuſa fidem amplitudine ſuâ excedentia Ilij Pergama & ecce hæc omnia tempus edax rerum, & invidioſa ſolo adæquavit vetuſtas, oſtenditq; grande fuiſſe nihil & magnum in rebus inane. Quisquis terrena ſapit Mundus illi magnus éſſe videtur, qui tametſi totus etiam in tantillum cor hominis intraret, illud non repleret. Eluctare Cælum verſùs mens humi ſerpens, elongare paulisper ab imis, hæc omnia quæ credebas maxima infra te cernens, te minora videbis, & totum Mundum in rotunditatis figuram compoſitum unicô concluſum advertens punctô, nil in illo celſum nil eminens eſſe

 aſſe-

aſseres, cum in puncto nil magnum eſſe poteſt. Vis ſcire intimiùs quanta ſit omnium in Mundo magnitudo ex menſura eorum conijce, quidquid in Orbe eſt tempore menſuratur, de quo cum nihil habeatur niſi nunc, mirare fallentem mentis oculos mundanarum rerum quantitatem, quæ momentum non excedit. Verùm his omnibus quæcunq; in Mundo æſtimantur, quæcunq; eminent, & magna cenſentur, ſi virtus addatur, certò certiùs celſa & magna eminebunt. Virtus etiam minima maxima efficit, virtus ſublimat humilia, ima elevat, celſa & eminentia facit. Parva eſt cujusq; magnitudo molis, quam magnitudo virtutis non adauget. Humilis celſitudo & vix apparens eminentia, niſi ſuum à probitate ſumat incrementum. Hæc quæ dixi re ipſa probat maximæ laudis argumentum, Idea ſanctitatis, ſtellati primæ magnitudinis Sidus Carmeli, mentis Divinæ delicium, Cæleſtium Gratiarum omni ſtupore majus prodigium *DIVINISSIMA* MAGDALENA de *PAZZIS*. Nihil hæc celſi in ſe habere cura-

vit,

vit, nihil in ſe eminere voluit præter virtutum magnitudinem. Hæc *VIRGO DIVINISSIMA* omnes rerum ſpecies athomas judicabat ſupremum ſublimis excellentiæ genus virtuti tribuendo. Ergo in *DIVINISSIMA* MAGDALENA de *PAZZIS*, quod fuerit virtutum celſitudo eminentiſſima indubitatè inferendum. Hujus celſitudinis Tuæ eminentiſsimæ Adoratorem magis, quàm pro Laudibus Tuis Oratorem agam *VIRGO DIVINISSIMA* fac tantùm ne Tuæ Majeſtatis ſcrutator à rectefactorũ Tuorum opprimatur gloria, & licet Tuarum virtutum celſitudo ſit eminentiſsima humilem tamen ut pote Tibi incommenſurabilem Oratoriæ thaſis non reſpue dictionem. Mirabimini celſitudinem virtutum in MAGDALENA eminentiſsimam Auditores, ſi paulisper in benevola attentione quam ſupplex Orator poſco morabimini.

OMnia quidem celſa in *DIVINISSIMA* eminuere MAGDALENA. AA. Nihil in MAGDALENA humile quanquam nihil ſuperbum, nihil non exi-

guum quanquam non inflatum, nihil non eminere dignum quanquam non fastuosum, quæ ut tota fuisset celsa & eminens DEVS laboravit & naturâ. Quidquid in MAGDALENA de Corporis animive bonis spectare licuit, totum in eminenti, totum in excellenti erat, & sicut mentis in laudes desudantis cogitamina, ita & conatuum in venerationem stuporem excedens. Si generis Nobilissimi quo Hæc Sacra prodijt *VIRGO* spectemus celsitudinem, Hæc summis par & maximis æqualis. Florentiam in Patriam, Camillum de *PAZZIS* & Bondelmontiam in Nobilissimos magnîsq; insignes decoribûs Parentes dedit MAGDALENÆ. Quanta fuit hujus Generis celsitudo, penna stylusq; metiri non valet, Cujus Originem ut investiges sæcula transcende, nec totam post sæcula Ejus magnitudinem admiraberis, Cujus ante sæcula tanta fuere principia. Præter stirpis nobilissimæ venustatem si & formosam ex miro Cælestium influentiarum temperamento ortam spectare libet venustatem, videre erat

re erat in vultu MAGDALENÆ Superum residere delicias, hinc oculis geminos lucere Tyndaridas, hinc crystallinas purpureîs rosîs nativi ruboris intertextas radiare genas, labia atticô despumare favô, totumq; Corpus non trium sed mille pomposam fuisse sedem Gratiarum. In Illa fuerat mentis generositas supra sexum, animi prudentia supra naturam, comes morum gravitas supra praxim, & compendiata exquisitarū animi dotum collectio supra admirationem. Planè ut olim Pòëta cum encomio septifluum allocutus Nilum.

Nec unquam licuit parvum te Nile videre,

Sic plusquam corrivalum septem ostiîs operante Illô. Qui erat septiformis munere naturam penè excedentium perfectionum alveum *DIVINISSIMAM* MAGDALENAM semper in omnibus celsam & eminentem fateri & adorare est necesse. His tamen omnibus quæ in Sacra Virgine poterant eminere, maxime virtutum eminuit celsitudo. Ea omnia quæ vel naturæ beneficiô vel Cælorum clemen-

tiâ magna & excelſa Mundus vel hominum æſtimatio in MAGDALENA videre poterat, ſemper humilia autumabat MAGDALENA, ſolam virtutum magnitudinem his omnibus præponendo. Magis curavit virtutum ſplendere, quàm Nobiliſsimi Generis claritate refulgere; ad Concives Cæleſtes per prætenſionem virtutis magis, quàm ad maximos Aborigenes per ſangvinis nexum pertinere. Magis curavit ut eſſet potiùs virtutum, quàm dotum Corporis collectione Pandora, viva perfectæ, Idea probitatis, Protogene Cæleſti adamuſsim ſanctitatis ſe delineante venuſtate. Super extulit his omnibus quæ in ipſa maxima videri poterant virtutum quantitatem, quarum ut in Illa Cælo in delicium, terris in ſtupendum exemplar fuiſset celſitudo eminentiſsima, favores Superum conſenſere allaboravit MAGDALENA. Eorum quæ tantiſper innui indicium erat prodigioſum nondum natæ Huic Virgini conceſsũ privilegiũ, Quæ adhuc in Bondelmontiæ clauſa utero rarô imò vix cui cõ-

ceſsô

cesſô eventu uteri materni ergaſtulum non gravabat: hâc præternaturali ſuâ levitate innuens futurum fore ut ſemper magis ac magis ſurſum in eminentiſsimam virtutum tenderet celſitudinem. Cæleſte dicerem in concepta Hac Infantula Corpus, traduce à Superis animatum ſpiritu, quod conterminarum Cælis virtutum futurum ſcrinium nec gravitat, nec levitat Cælorum more. Sic MAGDALENA viſa eſt ante delibare beatam vitam quàm inchòare mortalem, Divinum ante nectar, quàm lac haurire maternum, Polum priùs calcare, quàm ſolum, & ſtellatos priùs credebatur adire orbes,quàm edita in lucem. Illam naſcentem ſtatim inſolitum irradiavit Lumen, & ſatis eminentem Illius indicavit celſitudinem, dum Eam corpore quidem Bondelmontiæ, ſed ſanctimoniâ cum tradita ad fontem regenerationis teda Patris luminum filiam comprobavit. Crederem ego in tam lucido ortu Ipſam MAGDALENÆ adſtitiſse Lucinam, niſi veriùs crederem quòd Eam ipſa virtus

 ſuîs

suîs exceperit ulnîs, quæ priùs radiîs, quàm fasciîs cingitur: quomodo in ulteriori vitæ cursu ad celsitudinem virtutum non pervenit MAGDALENA eminentissimam, quæ in ipso ortu apparuit tam illustris. Cum candido tandem materni lactis alimento candidos contraxit mores MAGDALENA, & quanta futura erat in illa probitatis celsitudo, ipsius principiatæ miraculis vitæ monstravit magnitudo. Nondum *MAGDALENA* teneros numeravit gressus, & jam metam attigit sanctitatis, cui celerior erat virtutis, quàm ætatis cursus. Magna enim virtus statim festinat à teneris, expectationis virorem præcocitate sanctorum fructuum prævenit, cum aurora infantiæ soles vitæ Cælestis in meridiem provehit, in ipso ortûs sui phosphoro quod serus vehat vesper ostendit, & omnis moræ impatiens pigritiam temporis antevertit. Pumilionem *MAGDALENAM* mensurabat ætas, & jam Giganteos progressus, pietatis vestigia annotabant, quæ ita juvenilem tractavit prætextam, ut sem-

per

per in palmarem (quam tamen nulli in ſtadio virtutum porrigeret) effloreſcerit herbam. Dies Ejus adhuc dilucu-lante juventutis aurorâ ætates erant, & una hora poterat in ſæcula mitti. Ita annuatim protracta metiebatur luſtra, ut meridiante meritorum claritate ſemper magis ac magis redderet illuſtria; annos æternitati conſonos per virtutum duxit calendas, cujus pubertas maturæ ſanctitatis ubertas erat, ita ut antiquiquitate laſsati ævi viva Idea videretur. Futuram continuam in Cælo *MAGDALENÆ* converſationem, ſtupenda illa à vanis multiloquijs averſio, ſedula & continuò exquiſita ſpiritualium colloquiorum attentio indicabat. DEO plena cibos faſtidit *MAGDALENA*, ad eminentiſsimum tandem ſuæ ſanctimoniæ incrementum ſolius virtutis rata ſibi ſufficere alimoniam, Cæleſtem Panis Angelici ſaporem dum irroratô Divinis chariſmatibus palatô, & delibutîs nectare Gratiarum labiîs deguſtare non virtutum, ſed annorum incompetentia vetaret *MAGDALENÆ*,

 admi-

admirandô à Matre Hunc Euchariſticum ſumente Cibum, diffuſo odore recreabatur. Indiviſa nec repulſa etiam ſeparabilis à Matre die Sacræ Communionis *MAGDALENA*, quantam ſanctitatis ſpiratura erat fragrantiam, quæ in tantæ Euchariſtici Cibi odorem currebat ſanctitatis. In ſpiritu tota vivere volens, carnem aggreſsa ſubjugavit ſpiritui, & penè in ſpiritum transmutavit, caſtimoniam ſic illi innatam reddidit, acſi naturæ fuerit donum non Gratiæ. Quasvis adipalis menſæ nauſeabat delicias, ne Corpus ſaginatum calcitraret, parciſsimo indulgebat ſomno, ne creſcente ſegnitie carnis creſceret ſevities. Mollem pretioſumquè reſpuebat veſtitum, ne ſic ornatus ſuperbiret hoſtis. In prætexta adhuc juventutis polymita aſperam ambiebat lacernam, ut ſic meliùs accenſam in vaſe fictili caſtimoniæ obtegeret lucernam, & ſic inextinctam cuſtodiret. Hinc meruit *MAGDALENA* ut cælitùs viſitata per immiſsum ſuo digito annulum CHRISTO deſponſaret: ut conijcere

liceret

liceret quanta fuerit in illa celſitudinis virtutum eminentia, quæ tanto Sponſo meruit ſubarrari. Emiſsum in decennio ætatis ſuæ Virginitatis votum, cum jam Paranimphi Cæleſtis ſponſalia inviſset, nullô modô temerari voluit, & tantum lachrymîs pondera vocis habentibûs apud pijſsimos ſuos valuit Parentes, ut ſanctæ voluntati & devotis *MAGDALENÆ* eſsent parentes votis. Vrgentibus noluit obedire perſvaſionibus ne refragaretur Superis: bena gnara, auguſtum eſse eminentiæ augurium parere DEO. Ac tandem pridem excitati ac toties prorumpentis ſui deſiderij annuente Parentum licentiâ compos ut eſlet in celſitudine virtutum eminentior ſacrum conſcend t Carmelum, ſanctimonialium ingreſsa aſceterium quod Illam in probitate accepit, non fecit. Ibi cum ſe Sacrô *MAGDALENA* obnupſit velô, apertiùs ſe prodidit virtus, cui etiam in contermino Aſtris Carmelo deerat, quô mens *MAGDALENÆ* cognata Polo ſuum

perficiendi in perfectione ſtudium ſatiaret. Totam ſe penè virtus infuderat *MAGDALENÆ*, quæ adhuc Novitia, eò magnitudine ſanctitatis evaſit, quò ſolet ſtupor non cæterorum imitatio. Celſitudo virtutum *MAGDALENÆ* ut ſurrexiſset eminentiſsima ab abyſsali humilitatis incepit virtute: & bene primum enim creſcendi auſpicium eſt imminui coram Numine. Omnibus ſe abjectam anhelabat præbere *MAGDALENA*, quamvis omnes eminentiſsimam in virtutibus venerarentur. Iam hominum peripſema, Mundi purgamentum, inutile terræ pondus ſe dicebat, quanquam ab omnibus inæſtimabile Cæleſtis ærrarij æſtimaretur Clenodium, jam ſe maximam profitebatur peccatricem, ab omnibus Icon habita ſanctitatis, & ut vel ex Nomine ſe talem monſtraſſet, Nomen Catharinæ quod in baptiſmate acceperat in etymum *MAGDALENÆ* commutari petijt; & obtinuit, nunquam magis contenta quàm dū maximè contēpta. O Celſitudo

do virtutum *MAGDALENÆ* eminentissima! cujus fundamentum nempe humilitas abyssos superans. Cor tandem suum in Æthnam Divini amoris incendijs æstuantem stuporem excedente metamorphosi commutavit *MAGDALENA*, quibus adeo sæpe sæpius effervescere visa, ut extra sensus poni, & deliquium pati videretur. Hunc tamen ignitum erga DEVM amorem ignotum esse volebat, quem quò magis supprimebat eò Ille celsiùs & eminentiùs eminebat, nescius coàrctari. Quâcunq; MAGDALENA incedebat ubivis mortalium corda flammâ Divini amoris incendebat, à Cujus etiam vestigijs multi hoc Vestali nimirum in ara pectoris *MAGDALENÆ* inextincto incaluere igne. Hinc processit ut cum virtutum *MAGDALENÆ* Celsitudini Sacri Pantheonis lares non sufficerent, vi Divini acta amoris, sive Angelicîs sublevata pennîs, non mente tantùm, sed & Corpore elevaretur in àërem, frequentiùs iteratâ Cælestium de Divinis Myste-

 ste.

ſterijs revelationum inſtructione in admirandis deliciata extaſibus: nonne in *MAGDALENA* Celſitudo in tantum eminentiſsima quæ pertingit usq; ad Divina, Cujus Religioſa mens adeo pietate Cælo appropinquaverat, acſi nihil terræ in terra eſset præter corpus, Ille admirandus *MAGDALENÆ* per quinquennium cum toto ferme inferno conflictus longè majus celſitudini virtutum *MAGDALENÆ* addidit incrementum. Totum ſuum conamen exercuit orcus, & integram virium ſuarum vulcaniam in uno conflavit flumine, quô *MAGDALENAM* ex eminentiſsimo virtutum culmine dejeciſset; irrito tamen ſemper eventu. Jam impetebat *MAGDALENAM* horridus inferni Leo, jam urſorum, moloſsorumq; exagitabat multitudo, ſed *MAGDALENA* Angelicô vultu immanes terruit manes, & avernalis leonis jubam, in ſui triumphi jubar transmutavit. In hoc conflictu ut conſiſteret fortior; jejuniîs debilitabat Corpus, ut ſe meliùs ar-

maret

maret cilicium, & ferreos denticulatos induebat cingulos, ut esset vegetior superatîs per crebras disciplinas ulceribûs pro efficaciori promulside majorem adhibebat rigorem, ut pleno virtutum sanctitatis profluvio è vulneribus sangvine irrigata majorem haberet vigorem. Aspesit non semel MAGDALENA proprio cruore sacrum suæ cellæ pavimentum ut sic adversaus citiùs in lubrico laberetur. Sic mortificationibus asveta, patiendi cupida, putavit martyrium esse nihil pati, nihil amans præter DEVM mortem etiam odit, nec vitam amplectitur, cùm incessanter exclamat pati non mori. Hinc pro singulari xenio corde illam propriô & collectis in fasciculum passionis instrumentis CHRISTVS remuneravit. O pretiosam *MAGDALENÆ* animam! quô totum genus hominum redemptum est pretiô, intimiùs uni illi CHRISTVS applicuit, quasi tanti valeret CHRISTO, quanti Mundus valuit universus. O

Celſitudinem virtutum in MAGDALENA eminentiſsimam? quæ tam pretioſo munere honoratur. Jam tandem MAGDALENAM Cælo transcripſere fata, jam Eam numerus meritorum rutilantia vexit ad Aſtra, jam MAGDALENÆ decretionem, vitæ periodum parentales delineavere umbræ, ſed tantùm vitalis lucis uſuram, non virtutum ſplendorem minuentes, MAGDALENAM ſolis inſtar in occaſu majorem oſtendere. Mortale cænotaphium non eſt apta magnitudinis MAGDALENÆ menſura, quam innumera miraculorum & Gratiarum augent teſtimonia, probantq; MAGDALENAM elatam in tumulum feretro, ſed Celſitudine virtutum eminentiſsimam usq; in Cælum ſublimatam.

Suſpicimus Te à longe aſtrifero invectam Trioni Virgo Seraphica, & celſitudinem virtutum Tuarum eminentiſsimam venerabundi adoramus. Stupemus adorantes quibus admiratio non parit verbum ſed ſilentium. Sublima-

ſti

ſti Tuâ ſanctimoniâ Carmeli Celſitudinem, qui electum Divorum cùm ſit Hoſpitium in liliatis ſuis Incolis magna Orbi Chriſtiano oſtendit documenta. Has Stellas Carmeli Te o Virgo Seraphica extra ſomnium video adorare, & plena regularis obſervantiæ imitatione virtutes Tuas credo adoriri. Ergo *VIRGO DIVINISSIMA* vili laudis ignoſce humagio, quod Tuæ eſt impar celſitudini. Regnum Poloniæ, Generalem Illius Scholam, & hanc Metropolim protege, omnibus Tuis Clientibus Gratiarum favores præſta, mihi ſatis erat eminentiſsimam virtutum Tuarum humili dictione adorare Celſitudinem.

DIXI.

22000,-
3.XII.13



Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
02350